

Aug 28 1856 p.

OFFICIVM
VIRGINIS
MARIAE DE PIETA-
TE, AD VSVM SACRI

Ordinis Cisterciensis.

Quod celebratur XIII. die Iuli.



Lorvão

CONIMBRICÆ.

Ex officina Antonij à Mariz Typographi.

Cum facultate Ordinarij.

Anno. 1596.



OE L CO I V M
S I N G I N I S
A T E P D P I E T A
M A R I A D U A S A N G U I N I

Vimos este officio da Virgem nossa Senhora, pode se Imprimir: em Coimbra, 13. de Janeiro 1596.

Dom Afonso Bispo Conde.

anno XIIII. menses Januarii.



C O N I M B R I C E

Ex officina typografica Universitatis Coimbricensis

Consecratio Ordinis

Anno. 1596.



AD VESPERAS

Antiphona.



EGINA clementiæ,
virgo ma-
ter Christi,
cùm filium
videres, heu, in cruce mo-
ri, nullus dolor similis tuo
fuit dolori.

Aña. Virgo tuum fili-
um in cruce eleuatum red-
de tuis precibus, & meri-
tis placatum.

Aña. Quæ matris an-
gustias posset lingua fari,
cùm videret filium in cru-
ce eleuari?

Aña. Prolem in cruce
pendentem mæsta mater
aspicies lachrymatur in-
cessanter pectus sacrū per-
cutiens.

Capitulum.

V Ide, Domine, quo-
niā tribulor, con-
turbatus est venter meus,
subuersum est cor meum
in me metipsa, quoniam
amaritudine plena sum.
¶. Dum videret. XI.

Hymnus.

P Ange lingua gloriose
Virginis angustiam,
Lachrymasq; venerandas,
Et cordis mæstitudinem,
Quas eidem ipse passus
Vertit in lætitiam.

V erbum sancti Simeonis
Commendat memorie
Signum contradictionis
Fore Regem gloriæ,
Gladium transfixionis,
Quod impletur hodie.
O vos omnes, qui transitis
Per viam huius sæculi

Officium Virginis

Attendatis subsistentes
Inermis pauperculi,
Regisq; latus cruentum
I&u sœui iaculi.

M ater sentit, quod nō sétit
Caro iam exanimis,
Vulnus lateris manantis
Vndam aquæ & sanguinis,

Lauacrumq; lauans mundū
Instar viui fluminis.

Gloriam Patri melodis
Personemus vocibus,
Gloriam Christo canamus,
Gloria Paracleto,
In transfixo virginali
Corde, Christi lancea,
Amen.

R. Secundum multitudinē
dolorum meorum in cor-
de meo.

R. Consolatione stu& lāti-
ficauerūt animam meam.

Ad Magnifi. Aña.

O vos omnes, qui transitis

per viam, attendite & vi-
dete si est dolor similis, si-
cūt dolor meus, quia siue
filius meuseuaserit mortē,
siue calicem mortis gusta-
uerit, angustiæ sunt mihi
vndique.

Collecta.

I Nterueniat pro nobis,
quæsumus Domine Iesu
Christe, nūc, & in hora mor-
tis nostræ apud clemētiam
tuam, piissima tua geni-
trix, semper virgo Maria,
cuius sacratissimam ani-
mam in hora passionis tuę
doloris gladius pertransi-
uit, Qui viuis, & regnas.

Ad Completorium

Hymnus.

I Mperatrix clementiæ,
Fac rorē spargi gratiæ
In cor meum tam aridum
Ut tibi fiat placidum.

Lar-

De Pietate.

Largire quod concipiam
Tecum cordis mæstiam,

Flésmorté, quā rex patitur
Per quē mūdus cōstruitur.

Tuus tractatus filius,
Longè quām latro vilius;
Illusus fert ludibria,
A gente vallatur impia.

Sit honor, laus, deuotio
IESV Mariæ filio,
Tenso crucis patibulo
Pro redimendo populo,

Amen.

Admatutinū, Inuitatoriū.

Cum Maria virgine ferui-
dē ploremus : in sepulchro
positum venite adoremus.

Hymnus.

O Lachrymosa Dñā
Excelsa sup sydera,

Quæ, moriente filio,

Palles doloris gladio.

Quod Eua tristis abstulit,
Tu reddis almo germine,

Ipsa deglutit scelere

Tu sine culpa pateris.

Tu Regis alti ianua
Cūm referat cor lancea;

Leuando fuentes oculos.
Intraisti prima merito.

Maria mater gratiæ
Cultro sanctæ mæstitiae
Tu nos ab hoste protege
Et hora mortis suscipe.

Gloria tibi Domine
Defuncto coram virgine,
Cū Patre , & Sācto Spiritu
In sempiterna sæcula,
Amen.

In primo nocturno, Aña.

Cmnis ætas defleat mor-
tem Saluatoris gloriose
virginis prætextu doloris.

Psal. Dñs Dñs noster.

Antiphona.

Nunquam mater pertulit
tam graues dolores, vt Ma-
ria videns filij liuores,

Psal.

De Pietate

Psal. Cœli enarrant.

Antiphona.

Nullas nouit genitrix angustias tam duras, cùm plaga inspiceret, & capitis puncturas.

Psal. Dñi est terra.

Antiphona.

Flosa rubens vertitur in mortis pallorem, cùm in terram fluere videret cruentem.

Psal. Eructauit.

Antiphona.

Dulcis fructus vètris tui, ô cœli Regina, à Iudæis capitur hora matutina.

Psal. Deus noster refugiu.

Antiphona.

Mariæ lachrymis, Pater pietatis, nobis veram gloriam confert cùm beatis.

Psal. M agnus Dominus.

N. Ego sū pauper, & dolēs.

R. Salus tua, Deus, suscepit me.

Lectio prima.

Incepit Tractatus, qui dicitur beati Bernardi Abbatis, de lamentatione virginis.

VI S dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, ut pessim flere per diem, & noctem? O vos, filiae Hierusalem, vnam eum lachrymas fundite: currите, filiae, currite, virgines sacrae; currite matres Christo castitatem videntes; omnes ad virginem currite, quæ peperit Christum. Credo firmiter quod ipsa mater IESV erat inter illas foeminas, quæ ipsū sequebantur: hanc etiam arbitror fuisse inter illas dolentes.

21

Officium Virginis

dolentes, atque gementes,
quæ lamentabantur, flen-
tes dominum. Poterat etiā
& hæc esse inter illas fœmi-
nas, filias Hierusalem, ad
quas IESVS in angariam,
crucem baiulans, conuer-
sus dixit, Filiæ Hierusa-
lem nolite flere super me,
sed super vos ipsas flete, &
super filios vestros. Puta-
nè, domina mundi, domi-
na mea, mater dilecta eius
dem Christi, est nè verum
quod dico? Utinam dolor
ille sic quotidie inhærēret
viseeribus meis, sicut in-
ha sit tunc tuis. Utinam
mihi indicasset lachrymas
tuas, ut per illas cognosce-
rem quantum tibi amari-
tudinis fuit, cum Iesum
dilectum tibi, heu, heu, &
parum dilectum mihi, cla-

uis in ligno confixum, ca-
pite inclinato, suum san-
ctissimum exhalare vide-
res spiritum.

P. Audiens pia ouis, à lupis
captum mansuetissimum
agnum, vehementer ex-
pauit. **P.** Intellexit enim
euaginatum gladium, quæ
eius animum, Simeon pe
dixerat pertransiturum.

X. Siue filius meus euase-
rit mortem, siue calicem
mortis gustauerit, angu-
stiae sunt mihi vndique.

P. Intellexit.

Lectione secunda.

Q Vis poterit lachry-
mas continere, etiā
in coelo, ubi est impossi-
ble flere? Veruntamen tu
domina gaude gaudio ma-
no valde, ab ipso nunc glo-
rificata in celis, quæ in-

men-

Officium Virginis.

mente tantis clavis amarissimis fuisti confixa suæ pietatis mortis. Mihi tamen obsecro lachrymas illas infunde, quas ipsa habuisti in sua passione. Regina cœli, mater crucifixi, da quod iubes, & præbe quod cupio: loquere quia adiut seruus tuus: dic domina mea, dic mater Angelorum, mater misericordiæ, si in Hierusalem eras quando filius tuus captus fuit, & vincitus, & in Anna atrium tractus, & ductus?

R: Aspiciebat mæstissima mater innocentem agnum in cruce pendentem, turpissima morte morientem.

P. Tantoque vexabatur dolore, ut nullo possit explicari sermone. Plorás plorauit amare, & lachry-

mæ eius in maxillæ eius: non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius.

P. Tantoque:

Lætio Tertia.

C Vmq; Christus Deus, præcone clamante, Pilato imperante, sibi balas crucem ad supplicium traheretur, factus est cursus populorum post eum euntium; alij super eum plangentes; alij illudentes ei. Sequebatur eum, prout poterat, eius mæstissima mater cū mulieribus, quæ eum secutæ fuerant à Galilæa, ministrantes ei à quibus velut emortua tenebatur, & sustentabatur, quousque peruetum est ad locum passionis, vbi cruciferunt eum ante Virginem matrem; & ipse ea videns

DePietate.

vidēns fuit in cruce cleuatus, & ligno durissimis clavis affixus. Stabat Virgo videnseum, & ipse, vidēs eam, plus dolebat de illa, quā de se. Aspiciebat ipsa Deum suum, & filium suū in cruce pendētem, & morte turpisima morientem; tātoq; dolore, & tristitia vexabatur in mēte, quōd nō possit explicari sermone.

R. Quis mihi tribuat ut ego moriar pro te, fili mi, quia coarctor nimis, non valens succurrere tibi.

P. Et dolores mortis tuꝝ circundederunt me. **R.** Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.

P. Et dolores.

Lectio quarta.

M Anabat namq; sanguis ei⁹ ex quatuoꝝ

partibus, rigatibus vndis: ligno manibus, pedibusq; confixus. De vultu illius pulchritudo effluxerat omnis, & qui erat præ filiis hominū speciosus forma, videbatur omnium indecorus. Videbat quōd complebatur illud propheticū in eo, videmus eum, & non erat ei species, neque decor: vultum enim illius in quorum Iudæorum foedauerat liuor. Iste erat dolor Virginis maximus, quia videbat se deserit ab eo, quē genuerat, nec supererat ali⁹ us, quia ille erat ei vnicus; vox eius ferè perierat omnis, sed dabat gemitus, suspiriaque doloris: volebat loqui, sed dolor verba rumpebat, quia verbum iam mente conceptum dum ad

B for,

Officium Virginis

formationem procederet
oris, ad se imperfectum re-
uocabat dolor intimus cor-
dis: vox tristè sonabat fo-
ris, vulnus denuncians mē-
tis: verba donabat amor,
sed rauçè sonabant, quia
lingua magistra vocis, vsū
perdiderat loquendi. Vide-
bat morientem, quem di-
ligebat anima eius, & tota
liquefiebat præ doloris an-
gustia.

R. Me matrem trucida, sa-
uissima mors, quia tu mihi
sola præ cunctis places, ex-
aggere vires, trucida ma-
trem. P. Et eam cum filio
perime simul. R. Qui vna
carne viuunt, & uno amo-
re se diligunt, vna intere-
ant morte.

P. Eteam cum filio.

In secundo nocturno.

Aña. M atutino tēpōre
Mariæ nunciatur, quod à
perfidis Iudeis Christus ca-
ptiuatur, toto corde tre-
muit, maleque tractatur.

Psal. B enedixisti Dñe.

Aña. Q uælo mihi mi-
fero, Virginum Regina,
tecū flendilachrymas vbe-
res propina.

Psal. F undamēta eius.

Aña. D oloris iste gla-
dius, quem Simeon memi-
nit, sacratam tuam ani-
mam, virgo, pertransiuit.

Psal. C antate. I.

Aña. N osmatris com-
passio, Iesu Rex insignis,
seruet à voragine gehenna-
lis ignis.

Psal. D ominus regnauit
exultet terra.

Aña. N octē, qua Chri-
stus capitur absque somno
duxi.

De Pietate.

duxisti, & soporatis cæteris, flens vigil permansisti.
Psal. Cantate Dño. II.

Aña. Passionis gladius, virgo carens crimine, tuā pretransiuit animam cum omni grauamine.

Psal. Dominus regnauit, irascantur.

N. Defecit in dolore vita mea.

R. Et anni mei in gemitis.

Lectio quinta.

A Spiciebat & ipse benignissimo vultu matrem plorantem, & verbis paucis voluit eam consolari, sed illa nullo modo consolari poterat; flebat dicendo, & dicebat flendo, Fili mi, Fili mi: vñ mihi, vñ mihi: quis dabit mihi ut ego moriar pro te Fili mi?

O derelicta quid faciam? Moritur filius meus, cur se cum non moritur hæc mæstissima mater eius, mi fili, fili mi? Amor vñice, fili dulcissime, noli me derelinquere post te, trahe me ad te ipsū, vt ego moriar te cū: hei mihi, solus móriteris; moriatur tecū ista tua genitrix. O mors misera, noli mihi parcere, tu mihi sola præ cunctis places: exagera vires, trucida matré, matrem cum filio perimesimul: fili, dulcor vñice, singularē gaudium, vita animæ meæ, & omne solatiū; fac vt ego ipsa nunc tecū moriar, quæ te ad mortem genui: sine matre noli mori. O fili, recognosce desolatam, & exaudi precē meam: decet enim filium

Officium Virginis

exaudire matrem desolatam. Exaudi me, obsecro, in tuo me suscipe patibulo, ut qui vna carne viuunt, & uno amore se diligunt, vna morte pereant.

R. Mater, & discipulus vindentes se ad inuicem commendatos, defecerant spiritus illorum, & præ angustia voces exhalare nequivabant. **P.** Quia solus illis dolor, luctusque remansit amicus. **A.** Amarè flebat quia amarè dolebant, & gladius Christi mortis crenatus perimebat vtrumq; **P.** Quia solus.

Lectio sexta.

O Iudæi miseri, nolite mihi parcere: ex quo natum meum, crucifixistis, & me crucifigite, aut alia quacunque morte

sæua me perimite: dummodo cum meo filio simul moriar, ne solus moriatur. Orbis orbem radio; me, Iudæa, filio; gaudio, & dulcore. Vita mea moritur, & salus perimitur atque de terra tollitur tota spes mea: cur ergo viuit mater post filium in dolore? Tollite, suspendite matrem cum pignore: non parcitis proli, non parcatis & mihi. Tu mihi soli, mors, esto saua: nunc summè gauderé simori cum filio simul possem. Dulce est mihi mori, sed mors optata recedit. Væ mihi, & tibi fili, mors ipsa præcipitata venit: morte mori melius est mihi, quam vitam ducere mortis: sed fugit à me, & solam me relinquit, cui ipsa

De Pietate.

ipsa mors multum optata
nunc esset. O fili charis-
fime, o benignissime na-
te, miserere matri tuae, &
fuscipe preces eius: desine
nunc mihi esse durus, qui
cunctis semper fuisti beni-
gnus: fuscipe matrem tuam
in cruce, ut viuam tecum
post mortem semper. Ni-
hil mihi dulcius est, quam
te aplexato, in cruce tecum
mori, & nil certe amarius,
quam viuere post tuam mor-
tem.

B. Ecce doloris gladius,
quem timebam euenit mi-
hi Domine. P. Dimitte
me ut plangam paululum
dolorem meum. * Vbi
est ergo nunc filius meus,
præstolatio mea, & patien-
tia mea, Dñe Deus meus.
P. Dimitte me,

Lectio septima.

O Verè Dei nate, tu
mihi pater, tu mihi
mater, tu mihi filius, tu
mihi sponsus, tu mihi ani-
ma eras. Nunc orbor pa-
tre, viduor sponso, desolor
filio, omnia perdo. O fili
mi, ultra, quid faciam? V
mihi, vae mihi, quo vadā,
charissime? Quis mihi de
cætero consilium, & subsi-
dium præstabat? Fili dulcif
fime, omnia tibi possibilia
sunt, sed & si non vis ut
moriar tecum, mihi sal-
tem relinque aliquod beni-
gnum consilium. Tunc iā
Dominus anxius in cruce,
annuens oculis à vultu, de
Ioanne ait, Mulier, ecce fi
liustus (Erat enim Ioan-
nes præsens vultu tristis, &
corde magna tristis, lachry-
mis,

Officium Virginis

mis semper plorans) ac si
diceret, O mater dulcissi-
ma, mollis ad flēdum, mol-
lis ad dolendum, tu scis
quia ad hoc veni, & ad
hoc de te carnem assum-
psi, ut per crucis patibu-
lum saluarem genus hu-
manum. Quomodo ergo
implebuntur Scripturæ?
Sic enim oportet me pati
pro salute generis huma-
ni: die namque tertia resur-
gam, tibi & discipulis me-
is patenter apparens: dé-
sine r̄e, & dolorē depo-
ne, quia ad Patrem vado,
& ad gloriā paternæ mai-
statis percipiendā ascendo.
R. Quis dabit capiti meo
aquam, & oculis meis fon-
tem lachrymarum, ut de-
fleā die, ac nocte super in-
terfectum filium meum?

P. Quia cogitationes meę
dolore afflæ sunt, torqué-
tes cor meum. **R.** Tædet
animam meam vitæ meæ,
dimittā aduersum me elo-
quium meum.

P. Quia cogitationes.

Lectione octaua.

Congratulare mihi
quia nunc inueni oué
errantem, quam tam lon-
go tempore perdideram.
Moritur vñus, ut totus in-
de reuiuiscat mundus. Vñi
us ob meritum cuncti pe-
rièrē minores, & nunc sal-
uantur vñius ob meritum.
Quod placet Deo Patri,
quomodo displicet tibi?
Mater dulcissima, calicē,
quem dedit mihi Pater,
nonuis ut bibam illum?
Noli flere, mulier, noli fler-
e, mater speciosissima: nō

te

8

De Pietate.

te defero, non te derelinquo; tecum sum, & tecum ero omni tempore sacerdoti: secundum carnem, subjectione imperio mortis: secundum diuinitatem, sum & ero semper immortalis & impassibilis. Benè scis unde processi, & unde veni: quare ergo tristaris, si illuc ascendo unde descendit? Tepus est ut reuertar ad eum, qui me misit: & quod ego vado, tu non potes venire modo, venies autem postea. Interim Ioannes, qui est nepos tuus, reputabitur tibi filius, curam habebit tui, & erit solatium fidelissimum tibi. Inde Dominus intuitus Ioannem ait, Ecce mater tua; ei seruies, curam illius habebis, eam tibi commendabo; suscipe ma-

trem tuam, imo magis suscipe matrem meam. **R.** Quomodo sedet sola civitas Dei, plena diuinitatis cœli, facta est quasi vidua dominica gentium. **P.** Non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius. **R.** Polorans plorauit in nocte, & lachrymæ eius in maxillis eius. **P.** Non est.

Canticæ.

Q uoniam propter te sustinui opprobriū: operuit confusio faciem meam.

Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.

Q uoniā zelus domus tuæ comedit me: & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.

Et operui in ieiunio animam

Officium Virginis.

mam meā: & factū est
in opprobrium mihi.

Gloria Patri.

A Ruit tanquam testa
virtus mea, & lingua
mea adhēsit fauibus me-
is: & in puluerem mortis
deduxisti me.

R uoniam circundederūt
me canes multi: consiliū
malignantiū obsedit me.

F oderunt manus meas, &
pedes meos: di numerau-
runt omnia ossa mea.

I psi verò considerauerūt,
& inspexerunt me: diui-
serūt sibi vēstimenta mea,
& super vēstem meam
miserunt sortem.

Gloria Patri.

T V scis improperiū
meum, & confusionē
meam: & reuerentiam
meam.

In conspeetu tuo sunt om-
nes, qui tribulant me: im-
properiū expectauit cor
meum, & miseriam.

E t sustinui qui simul cōtri-
staretur, & nō fuit; & qui
cōsolaretur, & nō inueni.

E t dederunt in escam meā
fel; & in siti mea potau-
runt me aceto.

Gloria Patri.

A n. M ihi dilectū sub-
trahere nolite, si sepeliri
debeat, & me sepelite.

X. Sustinui qui simul con-
tristaretur, & non fuit.

X. Consolantem me quæ-
sui, & non inueni.

Lectionona.

O Fili dulcissime quid
fecisti? Quare crude-
lissimi Iudæi te crucifixe-
runt? Quæ causa mortis
tuæ? Commisisti nè scelus

vt

2

De Pietate.

ut tali morte damnareris? Non fili , non fili : sed sic tuos redimere dignatus es ut posteris exempla relin- quas. In gremio meo nūc te mortuum teneo . Quid ergo tua mater, fili mi dul- cissime , faciam ? Væ mi- hi, fili mi , dulcedo mea, consolatio mea, vita mea. Vbi est illud gaudium in- dicibile, quod in tua admi- rabili nativitate habui ? Væ mihi, fili mi, in quan- tum dolorem , & tristitia versum est illud tam ma- gnificum gaudium ? Suc- curre mihi , fili mi , & spi- ritum sanctum mihi inte- rim infunde, quia iam gau- dij illius , quod in obum- bratione, & Angelica Sa- lutatione cōcepi, ferè præ dolore immemor, deficio.

Interim autem frōtem , & genas, nasum, oculos, osq; simul frequentius oscula- batur, tanta perfluens afflu entia lachrymarum , vt carnem cum spiritu resol- ui putares in lachrymas. Dic , fili dilectissime , dic amor vñice, vita mea si- gulare gaudium; vnicum solatium, quare sic me do- lore perimi permittis ? cur tam longe factus es à me, Deus meus, consolare ani- mam meam, miserere mei & respice in me.

R. Iesus videns matrem stantem iuxta crucem, cō- passioni Virginis compas- sus ait. P. Mulier, ecce fi- lius tuus.

R. Deinde discipulo, Ecce mater tua.

P. Mulier, ecce.

C

L

Officium Virginis

Lectio decima.

Dum igitur Ioseph, & Nicodemus dominū ponerent in sepulchro, volebat simul cum illo mater mæstissima sepeliri; erat enim innixa super dilectū suum; quem amplectens, suauiterq; deosculās, sic dicebat: Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei. Illū adhuc palulum mihi relinquite, vt faciem illius, sublato velamine, valeam contemplari; & præ amore ipsius aliquantulum videndo consolari: nolite quæso, eum tam citò tradere sepulturæ, sed ipsum reddite mihi matris uæ, vt illum mecum habeam saltem vel defunctum: aut si illum in sepulchro recorditis, ibidem me

matrem cū ipso sepelite, quia malè post ipsum surreo. Vt quid post ipsum viuam? Illi ponebant dominū in sepulchro, & illa eum ad se trahere desiderabat. Sepulto itaque Dño, mater eius sepulchrū amplectitur, & voce, qua poterat, suum benedicebat filium iam sepultum, ingemiscensque vocabat.

R. Consolari mater nō potuit. **P.** Sic tractatum videntis quem genuit. **X.** Mortem Dei videntes, quæ aluit nulla mater sic vñquā doluit. **P.** Sic tractatū vides.

Lectio undecima.

O Singularis Virgo, & mater, iam dicere poteras, Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est in cruce quando dixit

10

De Pietate.

dixit, Mulier, ecce filius tuus. Nū dicere potes, Quę siui, & nō inueni illū: vocauī, & nō respōdit mihi, scilicet ad sepulchrum . Ibi sedens innixo capite manus extendebat desuper , illud osculans , amarissimisque singultibus suum filium deplorabat . Accesit autem nouus filius eius Ioannes, cuide cruce Christus eam commendauerat diligenter , lugens & ipse incōsolabiliter , ipsam lugentem ac gementē leuavit . Multæ autem fœminæ videntes eam , commotæ pietate super illius doloribus amarum conuertebantur ad luctum . Quædam vero post ipsam euntes , lamentabantur & ipsæ dolor etenim eius cunctos in-

tuentes dolere compellebat , vixque lachrymas continebat quicā plorantem conspicerent . Tā piē plorabat , tam amarē dolebat , quod , sui ploratus pietate , multos etiam inuitos ad lachrymas prouocabat . Fiebat plāsus quaunque Maria transibat , omnesque plorabant qui obuiabant ei .

P. Dum videret supplicia proli exquisita , torquetur angustia mater infinita : tri duano spatio dum languēret ita . **P.** Squaler eius fæcies pulchra , & benedicta .

P. Poena tam exasperans nunquam est audita : longè sibi charior erat mors , quam vita .

P. Squaler eius .

Lectione duodecima.

Officium Virginis

Si cigitur perducitur à plorantibus, & dolentibus ipsa plorás & gemés, quousque peruererunt ad domum Ioannis. Ibi rese-dit, ibi permásit, ibi in sua domo Ioannes retinuit, & super propriam matrem, in omni charitate dilexit: erat enim sibi datus in filiu, sed ipse se fecerat seruum eius, in omnibus, & per omnia sibi familiariter seruiendo. Denique resurgente filio, præ nimia debilitate membrorum deficiens pia mater, ad sepulchrum ire nequibat. Tūc currentibus alijs, & vnicū filium cernentibus, dicere potuit virgo Maria, Filię Hierusalem nunciate dilecto quia amore langueo. O felix, & beate Ioannes,

cui talem thesaurum Dominus dignatus est cōmendare. O Christi dilecte p̄æ omnibus, & prudens, quæ constituit Dominus priuatum camerarium aulæ suæ speciosissimæ. Retribuet tibi Dominus vicissitudinem amoris, mercedemq; dilectionis, quam in eius, ac tua matre taliter desolata usque ad finem vitæ suæ exhibere curasti. Benedictus quidem tu es à Dño: benedictus à matre Dñi, quam dilexisti, & cui seruisti puro cordo, & mundo corpore. Benedicti sint omnes, qui diligunt illam matrem; & super omnia sit benedictus fructus ventris sui Iesus Christus Dominus noster, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & re-

De Pietate.

& regnat Deus in æternū,
& in sæcula sæculorum,
Amen.

P. Cum videret quod clau-
so tumulo, priuaretur tam
dulce speculo, prædilecto
stans cū discipulo. **P.** Cor-
de plorat magis, quàm ocu-
lo. **P.** Lachrymarum fluē-
re riuulo, fletum mouit,
stante populo.

P. Corde plorat.

Secundum Ioannem.

I N illo tempore. Stabat
autem iuxta crucē Iesu;
mater eius, & soror ma-
tris eius Maria Cleophæ,
& Maria Magdalene. Cum
vidisset ergo Iesus matré,
& discipulum stantem, quē
diligebat, dicit matri suæ,
Mulier, ecce filius tuus.
Deinde dicit discipulo, Ec-
ce mater tua. Et ex illa ho-

ra accepit eam discipulus
in suam. Postea sciens Ie-
sus quia omnia consumma-
ta sunt, ut consummare-
tur Scriptura dicit, Sitio.
Vas ergo erat positum ace-
to plenum. Illi autem spō-
giam plenam acetō hyslo-
po circumponentes, obtu-
lerunt orie ius. Cūm ergo
accepisset Iesus acetū, di-
xit, Consummatum est.

Et, inclinato capite, tradi-
dit spiritū, Amé. Te decet.

Collecta. O remus.

O Mnipotens sempī-
terne Deus, cuius
in cruce filio moriēte, ani-
mam sanctā virginis ma-
tris, eius doloris gladius
pertransiuit; da nobis ita
veriusq; sentire dolores, ut
ab instantibus malis, & à pe-
riculis cunctis, & à morte

per-

Officium Virginis

perpetua liberemur . Per
eundem Dominum no-
strum, &c.

Ad Laudes. Aña.

Fit vox nimis flebilis, vox
nimis amara matris, quā-
do capitur sua proles chara

Capitulum.

Vide Domine. **R**. Ad ves-
perū demorabitur fletus.
R. Et ad matutinum ləti-
tia. **P.** Demorabitur fletus.

Hymnus.

O Gloriosa domina
Quæ tua crucia-
mina
Cùm Barrabas dimittitur
Et pœnas Christus patitur?
Pastorem, heu, percutiūt,
Quæ dispersæ fugiunt:
Te sola cum discipulo
Manente sub patibulo.
Nec mirum si sis anxia
Visa crudeli furia,

Te sciens puram virginē
Deū genuisse , & hominē.
Sit honor, laus, deuotio
IESV Mariæ filio
Tenso crucis patibulo
Pro redimendo populo,
Amen.

***.** Plorans plorauit in no-
ste.

R. Et lachrymæ eius in ma-
xillis eius.

Ad Benedictus. Añz.

Tāquam latro capitur vn-
dique , constrictus Cædi-
tur, conspuitur alapis affl-
etus. O matris angustiæ
cùm audiret ictus pro no-
bis, hæc tolerans, sit Rex
benedictus.

Collecta.

Omnipotens.

Ad Terzani. Aña.

Stabat Maria, mater pia,
foris plorans acriter : Re-
gem

De Pietate.

gem mundi, furibundidū
tractarent viliter.

R. Salus tua, Deus, suscep-
pit me.

Ad Tertiam. Hymnus.

O Genetrix egregia,
Cū Iudeos in furia
Christum videres capere,
Cor tuum cæpit tremere:
A Ita dicens suspiria,
Tu sequebaris anxia,
In fletibus exuberans
Ad templū usq; properas.
S it honor, laus, deuotio
IESV Mariæ filio
Tenso crucis patibulo
Pro redimendo populo,
Amen.

Collecta.

Omnipotens.

Ad Sextam. Aña.

A d locum supplicij Chri-
stus cùm venisset, & filium
suum, crucemque vidisset,
augentur planctus, &
chrymæ multiplicantur
dolores, & angustiæ.

Capitulum.

F oris interficit gladius, &
domi mors similis, audie-
runt quoniam ingemisco
ego, & non est qui conso-
letur me.

X. Defecit in dolore vita
mea.

R. Et anni mei in gemiti-
bus.

Collecta.

D ne Iesu Christe virgi-
nis Mariæ filii dulcissi-
me, qui cū p̄ditore cenasti,
& ca-

Capitulum.

V ide Domine. Ego sū
pauper, & dolens.

Officium Virginis

& captus, ac viliter tractus
fuisti; præsta, quæsumus,
vt qui tibi, & tuæ sanctæ
sim e genitrici cōpatimur,
vobiscum æternaliter ma-
nere mereamur. Qui, &c.

Ad Nonam. Aña.

A gn' mitis caput inclinās
j Felicitatē i cruce moriēs
plorat mater, cū ipso pati-
tur ad clamorem eius, ferè
commoritur.

Capitulum.

O mnes inimici mei audie-
runt malum meum; lætati-
funt quoniam tu fecisti.
¶ Sustinui qui simul con-
tristaretur, & non fuit.

¶ Consolantem me quæsi-
ūi, & non inueni.

Collecta.

P ietatē tuā, quæsumus
Dñe, qua pro nobis
mortem subiens tempora

lem, nec proprio corpori,
nec materno dolori parcer-
e voluisti fac vt nos tuæ
passionis, matrisque com-
passionis memores, vobis-
cum felicitatis perpetua
simus participes. Qui, &c.

Ad Vesperas. Añæ.

O mnisætas, cum cæteris
per ordinem vt in primo
nocturno.

Capitulum.

V ide Domine. ¶ Fuerūt
mihi lachrymæ meæ panes.
P. Die, ac nocte. ¶ Dum
dicitur mihi quotidie, vbi
est Deus tuus?
P. Die, ac nocte.

Hymnus.

P ange lingua glorioſæ.
¶ Secundum multitudi-
nem dolorum meorum in
corde meo.
¶ Consolations tuæ læti-
fi-

sicauerunt animam meā.

Ad Mag. Aña.

Virgo passo filio pœnas
cordis indicat, & plebis in
medio dolorem cordis re-
plicat. Vrgente suppicio
mæsta voce supplicat, que
quondam præ gaudio ceci-
nit Magnificat.

Collecta:

ODulcissime, atque
piissime Dñe Iesu
Christe, per lachrymas bea-
tissimæ virginis Mariæ,
dulcissimæ matris tuæ,
quibus ipsa rigauit faciem
tuam quando de crucede-
positus fuisti in manibus
eius; da ut beneficium tuæ
sanctissimæ passionis cō-
tinuò cordi meo habeam,
Qui viuis, &c.

A D M I S S A M

Introitus.



VM vidisset
Iesus matrem,
& discipulū stā-
tem, quem di-
ligebat, dixit matri suæ,
Mulier, ecce filius tuus. **N.**
Tu scis improperiū meū,
confusionem meam, & re-
uerentiam meam. **Gloria.**

Collecta.

OMnipotens sempiti-
terne Deus, cuius,
in cruce filio mortiēte, ani-
mam sanctā virginis ma-
tris eius, doloris gladius
pertransiuit; da nobis ita
utriusque sentire dolores,
ut ab instantibus malis, &
à periculis cunctis, & à
morte perpetua liberes
mur. Per eundem Dñm
nostrū Iesum Christū, &c.

D

Le.

Officium Virginis

Lætio Hieremias Propheta.

cuti sunt me, & super dolorum vulnerum meorum addiderunt. **A**llá. **X.** Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tue letificauerunt animam meam.

Tractus post Septuaginta.

Anima mea turbata est valde, sed tu Domine succurre ei. **X.** Laboravi in gemitu meo, lachrymis meis stratum meum rigabo. **X.** Examiniuit Dominus vocem fletus mei, Dominus orationem meam suscepit.

Secundum Ioannem.

In illo tempore. Stabant autem iuxta crucem Iesu, mater eius, & soror matris eius Maria Cleopha, & Maria Magdalene. Cum vidisset ergo IESVS matrem, &

Vide, Domine, quoniam tribulor, perturbatus est venter meus: subuersum est cor meum in me met ipsa, quoniam amaritudine plena sum. Fatis interfecit gladius, & domi mors similis est. Audierunt quia ingemisco ego & non est qui consoletur me: omnes inimici mei audierunt malum meum, lamentati sunt quoniam tu fecisti. Adduxisti diem consolationis, & fieri similes mei, multi enim gemitus mei, & cor meum manens. **X.** Sustinui qui simul constaretur, & non fuit; consolantem me quæsiui, & non inueni. **X.** Quoniam quem tu percussisti perse-

14

De Pietate.

& discipulum stantem, quē turbata sunt.
diligebat, dicit matri suæ,

Mulier; ecce filius tuus.
Deinde dicit discipulo,
Ecce mater tua. Et ex illa
hora accepit eā discipulus
in suam. Postea sc̄iēs Iesu
quia omnia consummata
sunt, ut consummaretur
Scriptura dixit, Sitio. Vas
ergo erat positum aceto
plenum. Illi autem spon-
giā plenam aceto hyppo-
po circumponentes, obtu-
lerunt ori eius. Cūm ergo
accepisset Iesus acetū, di-
xit, Consummatum est. Et,
inclinato capite, tradidit
spiritum.

Offertorium. Defecit
in dolore vita mea, & anni
mei in gemitibus : infir-
mata est in paupertate vir-
tus mea : & ossa mea con-

Secreta.

Offerentes tibi sacra
mysteria vnigeniti
filiij tui, Domine Deus, in
cōmemoratione angustiæ
virginis matris eius, quæ
sumus, ut ab omnibus an-
gustijs, & tribulationibus
quæ premūt nos tua beni-
gnitate liberemur, ut om-
ni tristitia, & tribulatione
semota, laudemus te, tibi
gratias referentes. Per eun-
dem, &c.

Præfatio. Verè dignū,
& iustum est, & quum & sa-
lutare nos tibi semper, &
vbique gratias agere, Dñe
sancte, Pater omnipotēs,
& terne Deus, qui in passio-
ne vnigeniti tui, spiritum
semper virginis Mariæ ma-
tris eius, doloris gladio cru-
ciari

Officium Virginis

ciari voluisti, ut sic marty-
rij palmam per crucem co-
sequeretur, & quæ in ara
vteri sui consecrata in ma-
trem Dei extitit per in car-
nati Verbi mysterium, iux-
ta crucis aram in martyre
consecraretur; per Christum
Deum nostrum. Per quem
maiestatem tuam laudant
Angeli, adorant Domina-
tiones, tremunt Potestates,
cœli, cœlorumq; virtutes,
ac beata Seraphim socia
exultatione concelebrant.
Cum quibus & nostras vo-
ces, ut admitti iubeas, de-
precamur, supplici confel-
sione dicentes, Sanctus, &c.

Communio. Exquisi-
ti Dñm, & exaudiuit me,
& ex omnibus tribulatio-
nibus meis eripuit me.

Postcommunicanda.

D Eus, qui animam san-
ctam beatæ virginis
Mariæ, in morte dilectissi-
mi filij, ne in tribulatione
deficeret, confortasti; da
nobis peccatoribus, eius
meritis, & intercessione,
ut à malis præteritis, præ-
sentibus, & futuris, tua be-
nignitate liberemur, & in
morte nos confortare di-
gneris. Per eundem Domini
num nostrum Iesum Chri-
stum.

Explicit Officium virginis Mariæ de Pietate.

Nunc

In lucē editū ex mandato R.R. Monialū Ordinis Cistercien-
sis, Monasterij vulgo Cellas, propè Conimbricam.